



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

§. 15. S. Odo Romæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum X.  
A. C. 936. mo tertio mortem oppetierit; quod si  
accidit, S. Petri Sedes annis tribus vacasset, nam Leonem VII. Joannis Successorem demum anno nongentesimo trigesimo sexto ordinatum fuisse, exploratum est. Erat porro Leo fidelis Dei Servus, qui supremam in Ecclesia Dignitatem non modo non quæsit, sed ea invitatus donatus est, postquam ad amolendum a se hunc honorem nihil intentatum reliquisset. Pontifex creatus nihil de præteritæ vitæ ratione dimisit, orationi & Rerum cœlestium contemplationi intentus, cunctis facilis, humanus, sapiens, & sibi conversantibus jucundus. Frodoardus, qui ista indole natum fuisse Leonem refert, eum viderat & sæpe conviva collocutus fuerat. Ceterum Leo annis tribus & dimidio Sacram Sedem tenuit, Alberico Romæ dominante, & Hugone omnem lapidem ad æmulum opprimendum frustra movente.

## §. XV.

*S. Odo Romæ.*

*vit. Odon.*  
*l. I. n. 27.*

Papa Leo, memoratos æmulos reconciliare cupiens, eodem anno nongentesimo trigesimo sexto Odonem Abbatem Cluniacensem, cujus magna erat apud Hugonem Regem auctoritas, Romam advocat. Venit Odo, cumque in itinere ad Adegrimum veterem amicum suum

saum divertisset, is quid sibi per visum oblatum fuisset aperuit; videlicet, illa hora, & illa die S. Martinum sibi factum esse conspicuum, & dixisse, quod Roma veniret, & in Franciam pergeret, ut coronationi & unctioni Regis Ludovici eadem die interesset. Odo notavit diem & horam, docuitque eventus, verum fuisse vaticinium. Rex Carolus Simplex e vita migraverat anno nongentesimo vigesimo nono, septima Octobris, Peronæ, in qua civitate a Comite Herberto captivus tenebatur.

Sed ejus obitu rerum facies in Francia nullatenus mutata, quamdiu Rudolphus, quem omnes Regem venerabantur, luce fruebatur. Mortuus est autem decima quinta Januarii anno nongentesimo trigesimo sexto; tuncque Optimates Ludovicum Caroli Simplicis filium, quem Mater Ogiva in Angliam ad fratrem suum Regem Edelstanum deduxerat, in Franciam revocarunt, eumque Artaldus Archiepiscopus Remensis Lauduni, Proceribus regni & plusquam viginti Episcopis præsentibus, Die Dominica decima nona Junii, anno nongentesimo trigesimo sexto consecravit. Ceterum ex illa in Anglia commoratione Ultramarinus dictus est.

Postquam Odo Abbas in Urbem per-  
venit, concordiam reduxit inter Regem  
Hu-

Sæculum X.  
A. C. 936.

*Chro. Frod.*  
936. *Et hist.*  
4. c. 26.